Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium in Konitz

vom Schuljahre 1863—64,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 11. August und zu den Schlussfeierlichkeiten am 12. August 1864

ergebenst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Anton Goebel.

Inhalt: 1) Abhandlung: „De obsoletis conjugationum plautinarum formis" von dem Hülfslehrer Franz Schultz.
2) Schulnachrichten von dem Direktor.

Buchdruckerei von Gustav Lange in Berlin, Friedrichsstrasse 103.

1864.

DE OBSOLETIS CONJUGATIONUM PLAUTINARUM FORMIS.

Erunt fortasse, qui, ubi primum dissertationis hujusce titulum inspexerunt, male confidentes cogitent, quidnam novi huic disciplinae grammaticae parti, cui Struvius pro exquisita sua diligentia et assiduitate jam affatim lucis admoverit, additurus sim; at ego, quam subii, opellam neque supervacare et ipsis his temporibus nostris vel maxime desiderari pro certo habeo, eandemque materiam, quam ante hos quadraginta annos vir doctissimus elaboravit, iterum pertractare ac disquirere operae pretium existumo. Mitto enim, multa ab isto neglecta esse, parvique pendo, quod hic illic in errorem non levem incurrit, — quid autem? literae quantum ex illo tempore incrementum ceperunt! Etenim non modo textus fabularum Plautinarum Ritschelii, Fleckeisenii aliorum studiis ita emendatus et, quantum fieri potuit, in integrum restitutus est, vix ut eum ubique agnosceres, verum etiam sermoni latino antiquiori perscrutando atque evolvendo tot tamque praeclari viri operam suam navarunt, ut multa, quae olim ne a forma quidem constabant, hodie etiam mente percipi, explicari, cum similibus ceterarum linguarum comparari possint. — Quae quum ita sint, duabus imprimis de causis formas has minus usitatas vel plane obsoletas illustravi, ut et artem criticam factitantibus certior quaedam lex praescriberetur, et exploratis quae genuinae, quae explodendae sint, grammaticae quoque arti fructus inde enasceretur. Occasionem igitur hanc studiorum speciminis edendi, benevolentissime mihi concessam, arripui, quum praesertim jam dudum poetae Sarsinati operam dare coepissem.

Formarum omnium turbam, quot a recentiorum consuetudine recedunt, ut primo aspectu perspici possent, duabus quaestionibus amplexus sum, quarum altera verborum radices, altera terminationes excussi.

I. DE VERBORUM RADICIBUS.

Praemonendum est, me eas modo verborum radices in disceptationem vocaturum, quae aut ipsae ad terminationem insolenter fingendam valeant, aut vice versa a terminationibus ita afficiantur, ut formam induant notandam. Ac primum quidem disputabimus de iis vocabulis, quae aut inserta aut extrita aliqua litera a recentioris aetatis usu abhorrent.

A. De *n* et *m* consonantibus aut insertis aut extritis.

Verborum radices omnibus linguis consonantibus nasalibus amplificari, G. Curtius (sprachvergleichende beiträge) et ostendit et exemplis satis confirmavit. Idem in latinam quoque linguam cadit, quum multa verba extent, quorum syllabae principis vocalis ita augetur, ut per nasum resonet i. e. ut aut *n* aut *m* litera subaudiatur. Quae consonans nasalis plerumque in perfecto et supino temporibusque quae hinc derivantur, evanescit*), veluti: *vinco*, *vici*, *victum*, *vincere*. Contra ea apud Plautum reperias, et quae jam in praesenti quoque tempore eam perdiderint, et quae in reliquis eam retineant. Prioris generis sunt:

1. *tago*: Mil. 1092.
2. *attigas*: Bacch. 440, 445; Truc. II, 2, 21, Ep. V, 2, 58.

Harum utramque ab usu linguae latinae non abhorrere antiquiorum scriptorum reliquiae testes sunt, quae easdem formas servarunt ut: *tago* (Sex. Turp. Leuc. XVIII ed. Ribb.), *attigas* (S. T. L. VI) etc. — Ceterum G. Curtius (de aoristi latini reliquiis, Kiliae 1857) omnes hujusmodi formas ut *tag-*, *tig-*, *pag-*, *pig-* (quae vocula olim vulgabatur Capt. 734: *impigier*), nec non si praeter reduplicatas praesentis radices perfecta extarent non reduplicata, ut *gigno*, *genui*, ad aoristum secundum antiquitus linguae latinae proprium respicere judicavit. — Atque alteram quidem q. e. *attigas*, quam Ritschelius auctore Nonio, praeeunte Douza comprobavit, non est cur addubitemus; altera nescio an omnino Plauto deroganda sit. Procul enim dubio Fleckeisenius formam nostram verborum modo lusus gratia contextu recepit, ut verba similiter pronunciata similem exhiberent scripturam:

Remorare: abeo. — Neque te moror, neque te tago — neque te taceo. — Accedit quod paucorum manu scriptorum auctoritate nititur.

Alteri verborum generi sunt ascribendae:

1. *corrumpta*: Amph. 1057.
2. *corrumptus*: Trin. 114, 116; Asin. 875, 883; Bacch. 420 etc.
3. *disrumptus*: Bacch. 603.
4. *corrumptor*: Trin. 240.
5. *nanctus*: Capt. 64, 154, 837; Trin. 63.

Sed memoratu dignum est neque omnes has formas satis esse munitas et earum plerasque nuper demum, suadentibus libris, consonantes, quas posterior aetas extriverit, recuperasse (Cfr. Fleck. ep. crit. XI; Lepsius, die palaeographie als mittel fuer die sprachforschung p. 73.)

Sequitur altera verborum species a priore perquam segreganda, quae et ipsa *n* literam interjiciunt. Etenim in illis *n* vel *m* inserviebant vocali principi amplificandae, in his autem verbo dilatando. Jam vero Struvium audiamus, sic fere disputantem (Ueber lat. decl. u. conjug. p. 205): literam *n* in sermone antiquiore saepenumero

*) Bopp. vergl. Gr. II, 455: „Verba haec omnia in temporibus specialibus nasalem inculcant, in aoristo vero expungunt.“

inculcari in iis quoque verbis, quae eam inferiore aetate perdiderint. Ceterum tertiam modo personam pluralis legi ac saepissime quidem *danunt* pro *dant;* praeterea autem se invenisse formas has: *nequinunt*, *solinunt*, *ferinunt*, *explenunt*, *obinunt*, *redinunt*, *prodinunt*. — Schweizer, qui de eodem argumento disseruit (Kuhn u. Aufrecht II, 380), insuper addidit formas: *inserinuntur*, *carinans*, *fruniscor*.

Quas formas et hic l. l. et Kuhn (K. u. A. II, 397) terminatione reduplicata natas esse conspirant, Ritschelius autem (Rhein. Mus. VII, 315) syllaba *IN* inculcata. Quanam a parte jus stet discernere meum non est; imo id unum mihi proposui, ut disquirerem, utrum Schweizer jure posuerit, omnes istas formas nisi in tertia persona non legi, necne.

Forma *danunt* per fabulas Plautinas multum vulgabatur et ea plerumque per emphasim: Merc. 226 (*dî danunt = verleihen*); Persa 852 (*quas turbas danunt? = veranlassen*); Pseud. 767 (*quoi servitutem dî danunt = bestimmen*); Capt. 819 (*duplâ agninam danunt = ausbieten*); Truc. II, 1, 34 (*datores demunt danunt = leihen*). — Imperativus autem *dane* bis legitur: Asin. 671 et Truc. II, 4, 19; prius absolvamus Truculenti locum, qui jam eam ob causam nullius fere momenti esse potest, quia nec a Ritschelio nec a Fleckeisenio hucusque percensitus approbatione quasi eget, tum vero etiam quia primus, quod sciam, Douza *dane* scripsit, ceteris omnibus Mss. aut *dant* aut *dantur* exhibentibus. — Altero loco Asinariae nullus dubito quin Fleckeisenius, si verbi nostri usui ac notioni indagandae operam dedisset, hanc lectionem versui non obtrusurus fuerit:

Quidvı̀s egéstas ìmperát: fricèntur, dáne quod ŏro.

Pleraeque enim edd. vett. et Pall. habent: *da nunc*, quoniam vocula *nunc* cod. Pal. super versum scripta erat; Gruterus autem perspiciens versum sanandum esse, conjecit: *dâne quod oro?* sententiamque pro interrogativa accepit. Verumtamen ejusmodi mutilationem cum legibus sermonis latini dissentire Ritschelius ostendit (Proll. p. CVI), formasque, quibus — *ne* particula adhaereret, aut integras scriptas esse *visne*, *videsne*, *audisne*, aut una eademque mutilatione et *s* et *e* amisisse. Quocirca Gruteri quidem conjectura rejicienda est; quid autem? si ad aliam emendationem confugiamus, quae, si quando, huic loco debetur, quum c. A. deficiat, lectioque vulgata non modo controversa sit, verum etiam ab usu Plautino abhorreat. Equidem sic legerim:

. . . fricèntur; dán' quod ŏro?

Tertio denique loco (Persa 256) jam Ritschelius medicinam attulit conjectura, quae, quamvis paullo audacior esset, ob contextus turbationem sanequam desiderabatur. — Olim enim sic legebatur:

Jovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viri potenti,
Opes, spes, bonas copias commodanti lubens vitulorque merito:
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, uti egenti opem adferam.

Danunt Nonius quoque, qui hunc versum affert (p. 510), exhibet; quoniam autem, ut verba leguntur, pluralis ferri non potest, Lipsius lectionem *danit* propo-

suit, quae in aliquos libros irrepsit; Ritschelius autem additis paucis vocibus sic eum restituit:

Jovi . . . commodanti
Lubens vitulor [at]que [dis cunctis] merito,
Quoniam meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt, argenti mutui [compos] ut egenti opem adferam.

Jam igitur patet in fabulis Plautinis verbi *dare* nullam aliam formam legi a stirpe *dan-* derivatam ac tertiam personam pluralis *danunt.* — Quodsi demonstraverimus, formas *coquinatum* et *fruniscor* huc non pertinere, nihil impedit, quominus Schweizeri placito astipulemur, verbi dilatationem *n* litera inculcata in una hac persona usu receptam fuisse. —

De voce *coquinatum*, R. et Fl. in librorum suorum textibus saltem dissentiunt, utrum *coquinare* an *coquitare* ponendum sit. Etenim c. A. bis (Pseud. 854 et 878) habet: *coquinatum*, *coquinare*, cui lectioni R. in textu suo obsequitur; in animadversionibus autem criticis profitetur, semet ipsum dubitare, num possit defendi exemplis, quae in Museo philologico VII, 315 collegerit. Qua de causa Fl., sive tertii loci fide nisus (Aul. III, 1, 3: *Ad Bacchas veni in bacchanal coquitatum*), sive alio nescio quo argumento commotus, Pseuduli quoque versibus lectionem *coquitare* et *coquitatum* recepit. Quam scripturam valde me improbare non diffiteor, primum quia forma iterativa *coquitare* supinum *coquitum* requireret; deinde quia verbum *coquinare* non habet quod valde stupeamus. At non recta via a verbo *coquere* descendere nostrum arbitror instar verborum *solinunt*, *ferinunt* etc., sed derivandum esse a substantivo *coquus* ut adjectivum *coquinus* (Pseud. 970), significationem igitur esse propriam: coqui officio fungi, vel ut nos dicimus: *Koch sein.* Id quod eo confirmatur, quod trium locorum a me allatorum nullo objectum legitur. Cfr. *dapinare* a *dapes* substantivo profectum (Capt. 897).

Alteri denique formae q. e. *fruniscor* (Rud. 1012), sermoni latino non inusitatae (cfr. Novii fr. 77: *frunisci*), Kuhn (K. et A. II, 397) stirpem *frun-* subesse optimo jure sumsit. Quae quomodo exorta sit, M. Mueller (K. Zeitschr. IV, 273) ostendit, qui eam vocibus graecis ε-νε-π (επ), κο-να-β (κοβ), ε-νε-κ (εκ), α-νη-νοθ, α-νε-θ (αθ) aequiparavit unicamque reliquam formam conjugationis esse suspicatur, quam vocat septimam graecam.

B. De verborum radicibus in vocalem desinentibus.

Conjugatio latina duplex est, prout aut nudae radici terminationes affiguntur, aut cum vocali radicem terminanti coalescunt. Atque radices, quae in — **a** — exeunt, primae quam vocamus conjugationi obtemperant, quae in — **e** —, secundae, in — **i** — quartae; quarum autem litera ultima **u** est, utpote geminam *U* literam in unam contrahentes, tertiae conjugationis speciem prae se ferunt (Cfr. Bugge, Altital.; K. Zeitschr. VIII, 38). — Denique radices, quae vocali — *o* — concluduntur, duae sunt: *nosco* (*no-*) et *poto*, quod vocabulum verbum iterativum est, descendens a radice *po-* (cfr.

πε-πο-μαι, ε-πο-θην), unde nascitur participium *po-tus*. Praesens *po-o* Latinis absonum visum est, quum vocalem geminam, quantum poterant, ex sermone dimoverent. — Identidem verbo *do* ab initio radix *do-* inesse videtur (ε-δο-θην, δε-δο-μαι, δο-σις, δως, *dos*, *donum*), sed quae pluribus commutationibus obnoxia vocalem *o* plerumque in *a* migrare patiebatur, interdum etiam ad *u* obscurabat, vel quia *ui* vocalium pronunciatio Latinorum oribus aptior erat vel, quam sententiam Benary (roemische lautlehre p. 276) imprimis tuetur, vox *av* contractione in unam vocalem *u* transiit. — Paucae extant formae, quae *du-* radicem exhibent, et verbi principis et cum eo compositorum *perdo*, *credo*. Sed contenderim conjunctivum modo ab hac stirpe descendentem legi et eum plerumque in — *im* desinentem. Jam igitur formas ipsas perlustremus:

1. *duim*: Aul. IV, 6, 6.
2. *interduim*: Rud. 580.
3. *duis:* Capt. 331, 947, 1368; Stich. 255.
4. *duit*: As. 460; Bacch. 334; Aul. I, 1, 21.
5. *duint:* Amph. 72; Trin. 436; Pseud. 936; Most. 655.

Forma *duim*, quamquam neque in fabulis Ritschelianis neque Fleckeisenianis legitur, per codicum tamen fidem videtur satis constare, quum praesertim verborum quoque sono efflagitetur.

Nam quod edit, tam duim quam perduim.

Quod modo memoravi, radicem q. e. *du-* plerumque in *-im* desinere, Ritschelii editione videtur refelli, qui Merc. 401 scripsit:

Né duas, neu te ádvexisse díxeris.

Sed in animm. critt. addidit se codicis C lectionem modo non ausum esse sollicitare, etiamsi Camerarius exhibeat *ne duis**). Quidni igitur ceterarum analogiae obsequentes hic quoque scribamus *ne duis?***).

Verbi *perdo* repperi formas has, quae non minus quam verbi simplicis in *-im* exeunt:

1. *perduim:* Aul. IV, 6, 6.
2. *perduis*: Amph. 845; Capt. 728.
3. *perduit*: Epid. I, 1, 64; Poon. III, 4, 29.
4. *perduint:* Curc. 719; Stich. 595; As. 467; Men. 308, 451; Merc. 710; Aul. IV, 10, 55; Truc. II, 3, 10; Cas. III, 5, 17; Poen. III, 2, 33.

Tertium autem verbum *credo* conjunctivum tam in *-am*, quam in *-im* fingit:

1. *creduam:* Poen. III, 5, 2.
2. *creduas:* Trin. 606; Bacch. 476.
3. *adcreduas*: As. 854.
4. *creduat:* Bacch. 504, 847.
5. *creduis:* Amph. 672; Capt. 605.
6. *creduit*: Truc. II, 2, 52.

Formas, quas enumeravi, omnes conjunctivi sunt; quattuor per fabulas Plautinas repperi indicativi hodie aut expunctas aut sane in dubium vocatas:

*) Ex Ritschelii testimonio hoc loco c. A. deficit; contra ea Geppert (Ueber den codex Ambrosianus 1847) professus est, hanc partem ex iis esse, quae salvae essent.

**) Altera forma (Aul. II, 2. 61) sero inventa et ipsa controversa est.

1. *interduo:* Capt. 694.
2. *concreduo:* Aul. III, 6, 49.
3. *concredui:* Cas. II, 7, 43.
4. *perduunt:* Rud. prol. 24.

Ac primam quidem formam Captivorum ne Struvius quidem manu scriptis satis suffultam existimabat; religio igitur, quae olim Gruteri aetate obversabatur, quoniam c. A non suppetit neque quidquam apparatus critici accessit, ne hodie quidem dimota est. Non diffiteor equidem me haesitaturum fuisse hanc formam recipere, quia et Pall. et omn. editt. *interdico* scriptam habent, et ī vocalis per versus distinctionem perferri potest; denique quia ipsius Scaligeri auctoritate *interdico* denotat: οὐδὲν διάφορον ποιοῦμαι, ἀδιαφορῶ. Adde quod olim sic legebatur.

Dum pĕreas, nihil intĕrduo dicant vivere.

Fleckeisenius autem:

Dum pĕreas, nihil intĕrduo, ajant vivere.

Quodsi pro *ŭ, ĭc* posuerimus, versu salvo forma quae esset ἅπαξ εἰρημένη, ex fabulis Plautinis summota esset. Olim quidem, quum pro *ajant, dicant* legeretur, forma nostra *interduo* aegre poterat desiderari.

Quartam formam *perduunt* ob geminam *u* discrepantem a consuetudine latina Fl. sine multis ambagibus in *perdunt* demutavit.

De secunda et tertia forma, quas dixi, sic fere judicaverim. Verbum *credo* praeter hanc alteram quoque radicem praebere videtur, primum quia lectiones discrepantes ab his non inveni, verbum igitur eorum ritu declinari sumendum est ac *statuo, statui*; deinde quia praesens conjunctivi justam formam praeter minus usitatam in *-im* praebet; tum quia L. Meyer, vir doctissimus, qui in comparandis inter sese linguis operam suam collocavit, (K. VIII, 286) exploravit verbum *credo* non a verbo *dare* descendere, sed familiaritate interiore cum voce sanscr. *çrad-dadhâmi* (= *ich schenke glauben*) conjunctam esse. — Hujus enim viri opinionem animo libentissimo amplecterer; modo vellem, cetera quoque verba composita *addo, condo, perdo* radici simplici non derogasset.

Transimus ad eas conjugationum latinarum formas, quae *a, e, i* vocalibus inter radices et terminationes inculcatis aut omissis ab inferioris aetatis usu recedunt. Quas formas inter sese dirimere nefas esset, quia vocalium una aliqua adjecta a tertia conjugatione, quae ab ipsa stirpe derivatur, ad primam, secundam, quartam transitur.

Vocalis *a* requiritur in radicibus formarum:

1. *lavis:* Pseud. 10.
2. *perlavit:* Most. 111.
3. *lavit:* Truc. V, 1, 10.
4. *lavere:* Amph. 1102; Truc. II, 3, 2.
5. *dissicit:* Curc. 424.

Nemo nescit multorum verborum alioquin primae conjugationi optemperantium perfecta et supina non ex eadem radice orta esse, sed ea integrae radici terminationes affigere. Formae autem verbi *lavere*, quas praeposui, ab usu communi ita abhorrent, ut in praesenti quoque tempore et in infinitivo praeter primae conjugationis formationem (e. g. *lavat:* Curc. 580) primigeniam sibi reservarint. Quam duarum conjugationum turbationem Corssenius (oscische beitraege K. V, 99) inclinatione linguae

latinae et oscae ad *a-* conjugationem — sit verbo venia — effici. Ac derivationem eo modo processisse opinatur, ut primo a verbis primitivis substantiva fingerentur, quorum pauca ut *sonus*, *tonus* per antiquissima linguae latinae monumenta tradita essent, hinc demum verba primae conjugationis descendere, omnia igitur esse verba denominativa. Ceterum has formas aetate superiore quoque multum frequentatas fuisse, satis superque testificantur loci hi: *lavite* (Tit. Ps. II); *laverent* (Afr.); *lavi* (Pomp. At. 53); *lavite* (Laber. 145); *laverent* (Ennius fr. 72); *sonunt* (Enn. 69). Ac quoniam Corssenius *nictere* verbum horum in numero posuit, etiam hunc locum, siquidem non est adulterinus, non possum non afferre (Truc. II, 7, 64):

Emoriere ocius, si manu niceris.

Ad quem Turnebus annotavit, *nicere* idem esse ac *nictare*. — Sed alii libri aliter hunc versum tradiderunt, neque certi quicquam de eo decerni potest.

Formam denique *dissicit*, quum et verbi compositi sit et vocalismo a voce primitiva longe refugiat, eam modo ob caussam ascripsi, ne quid omisisse viderer (Cfr. *dissice:* Caec. Stat. 239).

Vocalis *e* deest radicibus formarum:

1. *contuor:* As. 403; Stich. 208.
2. *contui:* As. 124, 523.
3. *olant:* Most. 268, 278; Poen. I, 2, 56.
4. *olere:* Most. 42.
5. *detergĕre*: Cas. II, 3, 20 (*detegere?* — Meurs.; Pareus).

Confer formas has aliunde petitas: *intui* (Sex. Turp. Paed. VII); *contui* (Pomp. At. 69); *olat* (Afr. Fratr.); *olant* (Pomp. At. 1); praeterea *fulgit* (Pomp. At. 74); *scatit* (Lucr. V, 40) etc. (V. Corssen: Kritische Beitraege etc. p. 539.)

Tertium verborum ordinem efficiunt formae, quae *i* vocali aut interjecta aut extrita insolenter finguntur:

1. *posivi; adposivi*; *reposivi; praeposivi*; *supposivi*: Pseud. 1281; Mil. 905; As. 513; Curc. 536; Rud. 916; Truc. II, 5, 9.
2. *deposivit; imposivit; opposivit; supposivit:* Most. 382; Rud. 537; Curc. 356; Truc. IV, 3, 30.
3. *deposivimus:* Bacch. 306.
4. *posiveris*: Trin. 145.
5. *imposisse:* Most. 434.

Pono vox mutilata est ex forma pleniore *posino* (= *post-sino*), unde *impostrix* (Truc. IV, 2, 50), *impostor* etc. (Cfr. K. VII, 188; IV, 46); de *i* vocali autem ipse loquendi mos videtur dubius fuisse, eam utrum corriperet an produceret. Qua correpta verbum nostrum tertiae conjugationi se addicere debebat; sin producebatur, quartae. — Aetate autem Plautina promiscue frequentabatur, prout poetae aut correpta aut producta syllaba opus erat.

Huic ipsi verborum generi subjungo ea, quae quum in *-io* vel *-ior* desinant, repugnante recentiorum loquendi consuetudine per omnia tempora quartae conjugationi obsequuntur. Sed hoc non ita dixi, quasi nullas omnino formas verba nostra e tertia conjugatione mutuata sint, imo modo huc modo illuc videntur inclinasse, quod docebunt

formae: *egredere* (Curc. 158); *progreditur* (Men. 109); *ecfoderis* (Trin. 783) aliae multae. Formae insolenter fictae sunt:

1. *perfodivi:* Mil. 142.
2. *effodiri:* Mil. 315.
3. *aggredirier:* Merc. 248; Rud. 602.
4. *aggredîmur:* As. 680.
5. *congredibor:* Persa 15, 788; Most. 783.
6. *egredîtur:* Rud. 334.
7. *moriri:* Capt. 732; As. 121; Rud. 675, 684; Pseud. 1222.

Jam igitur intelleges, sensim justo rerum ordine ad jejuniores a plenioribus transitum esse.

Sejunxi formas mutilas verbi *venire*, vel potius compositorum ex verbo *venire* et praepositione aliqua:

1. *évenunt:* Curc. 125.
2. *évenat:* Mil. 1010; Trin. 41; Bacch. 144; Curc. 271.
3. *évenant:* Most. 395.
4. *ádvenat:* Pseud. 1030.
5. *cónvenam:* Mil. 1379.
6. *cónvenant:* Persa 629.
7. *pérvenat:* Rud. 626.

De hisce disputaverunt: Corssen (Auspr. Voc. etc. I, p. 302; II, p. 147); Ritschl (Prolegg. pp. 88, 162, 212; Struve p. 197. — Formae quas descripsi, a Ritschelio demum praeeunte Bothio scribebantur, quales nunc leguntur. Namque Ritschelius bene perspexit omnes has plerumque trisyllabas esse, *i* vocula per synizesim extrita. Quam Ritschelii sententiam Corssenius non modo agnovit, verum etiam exemplis ex lingua Umbrica petitis confirmavit, quum sic fere disputaret: „in formis linguae italicae recentioris literam *i* sequente *a* non jam esse vocalem, sed consonantem, non modo rem ipsam monere, verum etiam linguae umbricae monumenta docere, ita tamen ut *i* litera primo quidem ad *j* induresceret, dein tota evanesceret. Eadem igitur ratione formas Plautinas esse explicandas.“ Atqui nemo tam excors est, quin intellegat, totam hanc quaestionem ad orthographiam potius quam ad verborum declinationem pertinere, nec profecto eas in disceptationem vocassem, nisi tertiam conjugationem resiperent. Hinc igitur consequens est, ut Struvius, qui nostrae scribendi consuetudinis hauddum sciens earum unam ex Nonio (10,20) petiverat, erraverit, quod inde conjecturam facit verbum olim fuisse *veno*, quamvis lenocinentur formae *advena convena*, quas rixosus quispiam ad confirmandam ejus opinionem afferre possit. Sed cavendum est ne opinemur Ritschelium verbis his compositis cunctis *i* vocalem ademisse, sed modo, quum praepositio verbo praefixa summo accentu premeretur; sin aliter, eam retinuit, ut Most. 132:

Igitŭr tum spécimen cĕrnitúr, quo evĕniat aédificātio.

Verum tamen fortasse Ritschelius multo aptius totam rem ad pronunciationem rejecisset textu salvo, quem ubique contra ipsos codices sollicitavit.

C. De verbo *posse*.

Praefigam formas incompositas vel parum liquefactas:

Praesens: I. pers.: *potis* (= potis sum, possum): Stich. 454.

Praesens: II. pers.: *potis es:* Capt. 970; Mil. 781; Rud. 1386; As. 97; Bacch. 866 etc.
potin' [ut] (= potisne es ut); Mil. 926; Rud. 425; Bacch. 751; Pseud. 235, 264, 940; Persa 287; Men. 807; Most. 396.
potine [ut]: Merc. 440*)
pote: Persa 30; Trin. 352.
III. pers.: *potis est*: Amph. 626, 693; Mil. 684; Rud. 829; Bacch. 35; Curc. 269; Stich. 301; Persa 40; Truc. I, 2, 64.
potis (sc. est): Capt. 89; Mil. 351, 788; Trin. 765; As. 607 etc.
potin' est: Trin. 759.
pote (= potis est); Trin. 730; Stich. 121; Persa 271; Most. 256.
[III. p. pl.: *potis sunt:* Poen. I, 2, 17?]

Formae pluralis eaedem videntur ac posteriore aetate.

Futurum: *potis erit:* Mil. 1270.
Perfectum: *potivi*: Most. 792.
Praes. conj.: I. pers.: *potis siem:* Merc. 331.
II. pers.: *possin:* (= possisne): Merc. 518.
III. pers.: *possiet:* Merc. 145; Most. 984; Bacch. 370.
Imperf. conj. *potesset*: Rud. 396; Mil. 884.
Infin.: *potis esse:* Pseud. 26, 1302.
potis (sc. esse): Merc. 349; Men. 620.
potesse: Rud. 55; Bacch. 559; Most. 1015.

Ex fabulis a Ritschelio et Fleckeisenio nondum recensitis formas plerasque in dissertationem recipere non potui, quippe quarum lectio parum constet.

Sole clarius est, verbum nostrum componi ex adverbio *potis* et *esse* facileque perspici potest, qua via vox incomposita in vocabuli unius corpus coaluerit. Nempe primum vocis *potis* syllaba altera allevatione debilitabatur i. e. *-is* in *-e* transiit, sicuti *magis* in *mage*, *laudaris* in *laudare*. — Quae vox mutila cum verbo *esse* nimium facile quam conglutinabatur: *póte -esse*, *pótesse*, *pósse*. — Vocabulum *pótis* Corssenius (Auspr. etc. III, 270) et Ebel (etymol. streifz. VI, 209 K. Z.) pro comparativo acceperunt eadem fere significatione ac *potius*.

In perfecto igitur verbum nostrum non ex analogia adjectivi *difficilis (dis- ficilis)* in *potif-fui*, *poffui* transire potuit, sed quum et *s* litera elideretur et accentus in syllaba *pó-* poneretur, has mutationes subire debebat: *pótefuit*, *pót-fuit*, *pótuit* (v. K. Z. VI, 316). Etenim sermo latinus praeoptavit consonantium dissociabilium alteram elidere.

*) Ne quis arbitretur Ritschelium de apostropho et de syllaba *ne* sibi parum constare, afferam verba ejus Proll. 106: „Cui minime repugnat, quod eandem addidimus apostrophum in *potin ut satin ego*, ubi id eadem, quae in illis dissuasit, ratio suadet: nam probae sunt et usitatae ipsae *satine potine* formae, quas linguam praeter *videre abine* admisisse non est mirum, quum hoc intersit, quod hic longa, brevis illic vocalis *s* literam praecedit. Nam quod certa quadam licentia veteris prosodiae etiam *viden abin* correpta vocali pronunciata sunt, id ad primitivam naturam ejus syllabae nihil pertinet etc.“

(Bopp. II, 436). — Uno autem loco (Most. 792) Ritschelius praeter omnium codicum auctoritatem ni fallor vice formae tritae et vulgatae, quam modo derivavi, ut metro bacchiaco satisfaceret, vetustiorem et ipsam, apud Plautum vero inusitatam recepit: formam *potivit*. — Nusquam legere memini, ubi eam probaret, etiamsi non nescius sum Plautum eam bis usurpasse (Amph. 178: *potivit;* Rud. 911: *compotivit*), sed non tamquam verbi *posse* perfectum, verum verbi alioquin deponentis: *potivi*. — Quamquam utut res se habet, formae Lucilianae *potisset*, *potissent* (secundum edit. Gerl.) procul dubio syncope ex *potivisset*, *potivissent* exortae, enuntiant nostram quoque olim usitatam fuisse.

Jam vero facile deprehendimus verbum *esse* in formis incompositis saepe desiderari non solum in verbo finito, verum etiam in infinitivo (Proll. 111). De praesenti autem certari potest, utrum in secunda modo et tertia persona singularis voculae *es*, *est* requirantur an in prima quoque. Equidem negaverim; nam unum modo locum investigavi, qui vocabuli *esse* omissionem usque ad primam personam pertinere testari posset, sed qui salvo verborum textu pro tertia accipi potest: (Stich. 454):

— — *Tam confido quam potis*
Me meum optenturum regem ridiculis logis.

Vox q. e. *quam potis* vel *quantum potis* compluries ita ponitur, ut significet: *quam maxime fieri potest* vel *plane* (v. As. 607; Trin. 765; Mil. 788). Quamobrem nullus dubito quin in hoc quoque versu verba *confido quam potis* non idem sint ac *quantum possum*, verum *quantum confidi potest*.

Transeo ad secundam personam quae voculam *es* saepenumero omissam habet. Ritschelius enim posuit (Proll. p. 109), *est* vel *es* verbi omissionem quum a poetis tum a scriptoribus frequentatam a sermone Plautino omnino esse alienam nec nisi rarissimis condicionibus probatam. Et alterius sc. secundae personae exempla nusquam ait negotia facessere, ut quibus exigui circuli i. e. apostrophi (') adjectione *es* ubique sine ulla opera restituatur, ut Amph. 324: *exercituru's*. Doleo equidem Ritschelium de vocabulo *potis* amplius non disputasse; una ex scriptione intellegi potest eum ratum esse, ubi *potis* pro *potis es* legatur, apostrophum supervacaneam esse et quam memoraverit consuetudinem Plautinam ad nostrum verbum non pertinere. Facere autem hoc loco non possum, quin duos versus afferam, inter sese simillumos, qui me non mediocriter vexarunt: Trin. 352 et Persa 30:

1. *Quándoquidém nec tibi bene ésse póte, pati neque álteri.*
2. *Si túte tibi bene ésse póte pati, veni vivés mecúm.*

His locis qui unici exhibent *pote* vice *potes* olim legebatur: *potes*; nimirum alia ratione versus pedes distinguebantur: *tibi bene ésse potés pati* etc. — Quam versus distributionem R. vitiosam esse ait, codicis A praestantia subnixus, „quoniam in composito non magis quam in simplici *es* syllaba apud Plautum corripiatur.“ Hac igitur de causa Ambrosiani scripturam *pote* ceterorum lectioni conspiranti praeposuit. Non ausim equidem textum Ritschelianum sollicitare, attamen quid R. sibi voluerit, quum

es syllaba corripiatur illa quidem, positione autem saepenumero producatur (ut Amph. 560 et 562), haec omnia inquam quo spectent me nescire ingenue fateor.

Restat ut duarum formarum mentionem faciam, quarum altera *potestur* codice Ambrosiano Merc. 553 expuncta est, etiamsi compluries legitur, ut Lucr. III, 1008 Pacuv. fr. ed. Ribb. 100 etc., altera *potis sunt* (Poen. I, 2, 17) nimium dubia est, quam quae ullo in numero esse possit.

II. DE VERBORUM TERMINATIONIBUS.

A. Praesens indicativi.

Formatio temporis praesentis ita modo a posterioris aetatis usu recedit, ut *u* vocalis tertiae personae pluralis, praeeunte altera *u* sive *v* demutetur: *ruont* (Amph. 245); *vivont* (Capt. 81); *abnuont* (Cap. 481), *perpluont* etc. Adjice his formas *volt*, *voltis*, quamquam notandum est, *u* vocalem, si *v* litera syncope dimoveatur, restitui, ut *sultis*. Quam legem non solum ad verbum, sed ad omnia omnino vocabula pertinere, in quibus *u* vocalis geminetur, ut *congruos* (Mil. 1116), non ignoro; nec mihi inde invidiam obortum iri spero, quod haec scribendi consuetudo usque ad Augusti Caesaris aetatem viguerit.

B. Praesens conjunctivi.

Tres omnino terminationes praesentis conjunctivi Struvius esse voluit *-am*, *-em*, *-im*, quarum hoc loco tertia imprimis mihi in quaestione est. Prius autem verbi auxiliarii *esse* conjunctivum persequamur.

Duplicem enim vel si placet triplicem formam praesentis conjunctivus praebet, quarum duae *sim* et *siem* a stirpe *es* (es-um, s-um), *sum*, tertia a stirpe *fu-* descendit. Etenim pro forma q. e. *sim* Plautus, ubiubi metrum efflagitabat, ampliorem formam *siem* posuit, sed modo formas bisyllabas: *siem*, *sies*, *siet*, *sient;* trisyllabam non item.

Altera conjunctivi forma (*fuam*) a notione controversa est, quia plerumque satis perspici non potest, quamnam ei significationem tribuamus, utrum formae *fuerit*, an *sit*, an vero *fiat* verbi. — At mehercle quis tam excors est, quin intellegat formis *fiat* et *fuat* stirpem esse eandem (v. Tobler: anomalien etc. K. Z. IX, 247). Dixerit forte quispiam: Tu nescis, *fīam* ubique produci; neque *fieri*, *fierem* formas corripi, nisi quia in versum non quadraturae fuissent? *Fui* autem et *fuam* nusquam non corripi? Verumenimvero sanequam dilucidum est, non solum in formis *fui*, *fuam*, sed in omnibus perfectis radicum in *-u* exeuntium vocalem principem inde ab initio longam fuisse nec nisi usu frequentissimo correptam esse. Quam quaestionem a Ritschelio (Proll. 171) et a Corssenio (Auspr. voc. etc. II, 159) satis excussam hoc loco iterum pertractare supersedeo. — Supra igitur memoravi *fuam* vocabuli notionem esse controversam. Quid? nonne in enunciatis his idem est ac *fiat?* Mil. 299: *Quid me fuat nescio*; Trin. 594: *Quid ea re fuat nescio*; Pseud. 1029: *Ne capta*

praeda capti praedones fuant. Mittam eos omnes locos enumerare, quibus codices inter sese discrepant, utrum *fuam* an *fiam* scribendum sit, itaque difficultates aegre superandas obstruunt, quominus notionem peculiarem enucleemus. Transeamus igitur ad ceteros locos. Saepe enim forma nostra idem denotat ac *fuerit*, sicuti: Amph. 986: *Nec quisquam tam audax fuat;* Capt. 260: *Si fuat occasio.* — Porro aliquoties ita ponitur, ut timendi aut obsecrandi verbum praecedat notioque latitet futuri: Capt. 431; Mil. 492; Bacch. 1033; Persa 51 etc. — Denique duo loci reliqui sunt, quibus sola conjunctio *ne* praecedit (Trin. 267; Mil. 595) eadem notione qua priores. — Ex omnibus igitur his formis liquide liquet formam hanc fere mediam esse inter verba *fieri* et *esse* terminosque ita disturbatos, ut neque cui tempori neque omnino cui verbo uno quoque loco ascribenda sit, satis decerni possit.

Jam ad ceteras formas obsoletas vel minus usitatas aggrediar, quae in *-im* exeunt: Praeter formas: *duis, duit, duint, perduis, creduis* etc., quarum jam supra mentio facta est, quum de vocali *u* interjecta dissererem, leguntur hae:

1. *edim:* Trin. 474, 475; Aul. III, 1, 6; Poen. V, 5, 5 etc.
2. *comedim:* Curc. 560; Bacch. 743.
3. *edisne*: Trin. 473.
4. *comedis*: Trin. 102.
5. *edit*: Trin. 339; Poen. prol. 9.
6. *edint*: Stich. 554; Men. 456.
7. *exedint*: Pseud. 821.
8. *comedint*: Truc. II, 6, 53.
9. *edimus*: Poen. III, 1, 34 [?]

Denique liceat mihi paucas formas afferre jamjam a Ritschelio et Fleckeisenio explosas:

1. *sinit*: Curc. 27 (Fl. sierit).
2. *coquint*: Pseud. 819 (R. et Fl.: *cocunt* praeeunte codice A, qui habet: UBIC . . UNT).
3. *carint*: Most. 858 (R.: *carent*).
4. *effodint*: Capt. 724 (Fl. *ecfodiunt*).
5. *temperint*: Truc. I, 1, 41 (alii libri: *temperent*: Geppert in editione sua nuper edita Truculenti: *temperant*).

Praeter hasce Corssen et Bopp attulerunt formam *verberint*, quae qua auctoritate codicum nitatur, nescio.

Terminationem igitur *-im* constat Latinitatis aureo aevo tantum in verbis *esse* et et *velle* usitatam fuisse, aetate autem Plautina usu paullo frequentiore viguisse. Attamen arte critica compluribus formis expunctis, facile est perspectu, ne nostrum quidem eas ex arbitrio suo posuisse, sed vel ejus memoria formas has in *-im* exeuntes obliteratas atque obsoletas fuisse. Etenim iis non utitur nisi in conjunctivo praesentis verborum *do*, *perdo*, *credo*, *u* vocali praeeunte, atque praeterea unius verbi *edo* — Quod prima et secunda persona pluralis nusquam legitur formarum obsoletarum, Boppius (III, 3) caussam sufficientem mihi videtur attulisse, quum similiter ac Struvius p. 61 profiteatur, eas ob syllabarum numerum adauctum jam sermone antiquiore obsoletas fuisse. Ceterum idem quod his verbis, aliis quoque evenit: *esse (siem, sies, siet, sient)*, *posse.*

Hujus terminationis originem viri qui conferendis inter sese linguis operam dant

ad optativum graecum sive potentialem sanscritum revocarunt sic fere disputantes (Bopp. III, p. 3): „Conjunctivum latinum proxime accedere ad gr. optativum et sanscr. potentialem, id quod imprimis formis in *-im* exeuntibus cognosci posset; vocem enim *edim* idem esse ac sanscr. *adyâ'm*, *edimus* compar sanscrito: *adî-máhi* — Magis etiam deductionem hanc probari, si ad formam adauctam et pleniorem respexissemus: *siem* = *syâm*. — Idem fere sentiunt et pluribus exposuerunt: Lottner: Ueber die Stellung der Italiker etc. K. Z. VII, p. 44 et 45; Schweizer: Anzeigen K. Z. IV, 305. — Corssenius quoque et Curtius opinionem istam comprobaverunt et professi sunt ob *i* vocalem *a* formae *siem* in *e* deflexam esse, vocem igitur hanc eandem vocalium declinationem subiisse ac futura verborum omnium, quae tertiae aut quartae conjugationi obsequerentur.

Ceterum formae verbi *do* in *-im* desinentes ut a specie ad optativum graecum aspirant, ita a vi quoque et notione ejus ad similitudinem proxime accedunt, quum nusquam legantur, si aut rerum consecutio denotanda est, aut quod appetimus enunciatur, sed tum modo ponantur, si sententia in incerto relinquatur. Modus enim optativus ab optando nomen ducit et ab origine ei indicandae rei inservisse hunc modum facile est intellectu quam optemes. Idem in has formas cadit, quarum pleraeque vim optativam prae se ferunt: Trin. 436; As. 467; Curc. 719; Stich. 595; Merc. 793; Men. 933, 451, 308; etc. Uno etiam loco ad modum hunc optativum, ut ita dicam, particula *ut* accessit, ita tamen ut vis optativa non debilitaretur, sed potius premeretur (Merc. 710): *Ut te, Demipho, omnes dî perduint.* — Adde quod vis optativa in multis enunciatis subjunctis delitescit, sicut Men. 1007: *Obsecro te mî ut duis.* — Bacch. 334: *Velim mi duit.* — Stich. 255: *Rogas ut duis.* — Capt. 728: *Obtestor ne perduis.* — Quod dixi formis his sententiam in ambiguo vel dubio relinqui neque sententiis pervertitur, quae optativo graeco cum ἂν composito respondent ut Rud. 580: *ciccum non interduim;* vel Trin. 794: *Floccum non interduim* — neque sententia hac conditionali, quae tertium quem vocamus casum hypotheticum exhibet: (Amph. 72) *Sive adeo aediles perfidiose quoi duint.* — Denique nonnullos locos addam, qui ab optativo quidem Graeco aliquantum distant, sed qui longe absunt ut divinationem nostram refellant. Ac primum formae hae cum *ne* conjunctione conjunctae ellipseos loco funguntur fere hujus *non est cur*, *noli*, *quid refert*, ut Capt. 331, 947; Rud. 1368 etc. — quas sententiunculas verba fere haec excipiunt: *parvi pendo*, *nihil interest.* — Nec non poeta his conjunctivi formis utitur praeeunte timendi verbo vel quum ejusmodi verbum requiratur, ut Men. 367; Amph. 845 etc.

C. Imperfectum indicativi.

Boppius (Gr. II, p. 404) primus cognovit imperfectum latinum compositione verbi radicis et verbi auxiliaris extitisse sc. ejus formae, quae a literis *fu-* incipit, itaque primitivam imperfecti formam desiisse in *-fam*, quam sensim in *-bam* degenerasse. De imperfecto autem quartae conjugationis ita disputavit, ut formam *audiebam* ex vocali χαρακτῆρος classici terminante et augmento in unum coalitis extitisse profiteretur. Hinc

quoque apparere, qui factum sit, ut imprimis apud vetustiores scriptores, nonnusquam etiam apud aurei aevi poetas utraque vocalis coiens q. e. *ie* in unam contraherētur. In fabulis Plautinis leguntur hae:

1. *scibam*: Amph. 385; Asin. 300; Asin. 496; Pseud. 501.
2. *scibas*: Pseud. 500; Aul. IV, 10, 24.
3. *scibat*: Amph. 22.
4. *scibatis*: Rud. 378.
5. *gestibant*: As. 315.
6. *servibas*: Capt. 247.
7. *crocibat*: Aul. IV, 3, 2.
8. *praesagibat*: Aul. II, 2, 1.

Ceterum nescio an etiam formae verbi *ajere* huc pertineant: *aibas* (Trin. 428; Rud. 1130); *aibat* (Rud. 307); namque superiore aetate tertiae conjugationi non minus quam quartae obsequebatur. Quae anomalia ad imperativum quoque serpsit *ai*, quem in fragmentis Naevii legere memini.

D. Perfectum indicativi.

Perfecti latini formationem triplicem esse voluit Knoblauchius (K. et A. I, 575): primum reduplicatione vocalisque principis commutatione; deinde *s* litera affixa; tertium compositione nudae radicis cum verbo auxiliario *-fui*. Verumtamen nescio an Goebelii potius opinioni nos addicamus oporteat, qui in recensione (Mützell. XIV, p. 55) operis Rappiani, cui titulus: ‹verbal-organismus der ind.-europ. sprachen› posuit syllabam *-si* voci affixam ex *-esi* perfecto verbi auxiliari obsoleto derivandam esse, itaque duas perfectorum formandorum rationes restare, alteram reduplicatione praefixa vocalique principi commutata, alteram perfecto verbi auxiliarii *esse* sive: *-fui*, sive *-esi* affixo. Apud Plautum vero satis multae perfecti formae, quae in *-si* vel *-xi* exeunt, ita mutilantur, ut *i* vocalis inter sibilantes duas q. s. *s* vel *x* media intercedat, sibilantium vero altera ut supervacanea omittatur. Nimirum ejusmodi mutilatio in secundam modo personam singularis et infinitivum cadit nec non in aliquot plusquamperfecti conjunctivi formas, quibus in formis syllaba *-sis-* vel *-xis-* fingitur. Repperi has:

1. *dixti*: Mil. 365; Trin. 556, 567, 602; As. 823; Curc. 130; Merc. 164, 754; Truc. IV, 2, 44; Capt. 155.
2. *adduxti*: Capt. 1016.
3. *abduxti*: Curc. 614.
4. *traduxti*: Cas. III, 3, 16.
5. *avexti*: Rud. 862.
6. *intellexti*: Rud. 1103.
7. *immersti*: Bacch. 677.
8. *devinxti*: As. 850.
9. *advexti*: Merc. 390.
10. *depinxti*: Poen. V, 2, 154.
11. *instruxti*: Mil. 981.
12. *occlusti*: Trin. 188.
13. *promisti*: Curc. 703.
14. *emunxti*: Most. 1109.
15. *discesti*: As. 251.

Plusquamperfecti conjunctivi duas formas in fabulis Plautinis investigavi: *recesset* (Merc. 73); *intellexes* (Cist. II, 3, 81) cfr. *accesset* (Sex. Turp. Ep. V). — Denique infinitivos:

1. *dixe*: Poen. V, 2, 1.
2. *advexe*: Merc. 333.
3. *adduxe*: Rud. 1047.
4. *detraxe*: Trin. 743.

5. *inlexe*: Merc. 47.
6. *despexe*: Mil. 553.
7. *admisse*: Mil. 1287.

Multum quidem sibi admirationis habet quod vocalis positione producta superiore aetate syncopabatur, inferiore in antiquum restituebatur rerum ordine inverso, neque habeo qui anomaliam illam interpreter nisi opinione, eam poetarum modo licentiae fuisse. Attamen hoc non ita dixi, ut poetas vocabula haec aliter pronuntiasse contenderem; imo suspicor usu vulgari *i* vocalem usque ejectam fuisse, quum singula ab utraque parte sibilanti inclusa oris diductionem vel linguae usum non desideraret. Neminem autem, qui hanc rem capessivit, effugiet mutilationem hanc a ceteris omnibus consonantibus refugere, neque igitur comprobari potest Ritschelii conjectura *occepsti* (Trin. 964) pro *occepisti*, quam contra atque et libri omnes et lex in universum valens efflagitarunt textui obtrusit. Quamvis enim isto modo versum praeclare resanarit, forma haec ita exlex est, eam ut plane respuendam esse ducam. Jam vero mihi videor audire, qui perfecti conjunctivos vel futura exacta similiter cadentia oggerant, ut *capsit* (Pseud. 1022); *occoepso* (Cas. V, 4, 22), *recepso*, *capso* etc. Quos si refellere studerem, ab obsoletis atque derogatis perfecti conjunctivi et futuri formis esset repetendum ad nostram hanc formam nihil omnino valentibus. Quidni igitur Hermanni in hunc locum conjecturae nos addicimus, quae neque consuetudini poetarum latinorum vim affert et metro versus medetur:

Háben tu aúrum id quod áccepísti a Chármidé.

Ritschelii ut videtur errato non solum Fleckeisenius in editione sua obsecutus est, verum etiam Ribbeckius, qui praeter librorum auctoritatem *coepsti* pro *coepisti* scripsit (Caec. St. Hymn. III).

De infinitivis eadem mutilatione ortis infra disputabitur. Restat ut afferam unam perfecti formam in fabulis nostris legi, quod aetate sequiore mutila vulgabatur: *tetuli* pro *tuli*. — Leguntur formae:

1. *tetuli*: Amph. 716, 801; Rud. 68; Bacch. 811, 960; Men. 591, 629; Most. 471.
2. *tetulit*: Rud. 1046.
3. *tetulisse*: Rud. 893.
4. *tetulero*: Cist. III, 19.
5. *tetulerit*: Poen. III, 1, 58.

Ceterum jam Struvius docuit (p. 160 seqq.) reduplicationem hanc apud Latinos frequentiore usu viguisse, quum praesertim ex aliis scriptorum libris aliae insuper afferantur: *pepugero*; *memordisse* (Quinct. Aed. II) etc.*).

E. Futurum simplex.

Futuri simplicis determinatio duplex est: priorum conjugationum in *-bo*, quartae et tertiae in *-am*. — Ac prior quidem secundum Pottii opinionem (cfr. Bugge: erklaerung der oscischen sprachdenkmaeler; K. Z.) compositione verbi auxiliaris *esse* (*-fuo*)

*) Radix *tul-* olim praesentis quoque fuisse videtur; namque non solum vocem '*tolutim*' in Menaechmis investigavi, sed etiam praesens conjunctivi *tulat* in Novii fragmentis (87).

extitit et ab origine praesenti compar erat. Quandoquidem praesentis conjunctivus futuro vi ac notione apprime erat propinquum, factum est, ut, quum sermo latinus formas nondum ad amussim compositas, sed quasi fuse vagantes ad certas loquendi formas revocare inciperet, futuro tertiae et quartae conjugationis exitus *-em* (si a prima persona recesseris) assignaretur, ceteris non item, quia alterius praesentis conjunctivus huncce jam praeoccupaverat, alterum futurum eum propter *e* geminam refugiebat, quae quum contractionem efflagitaret, indicativo conjunctivum adaequasset. Passim autem quartae conjugationis formae in *-ibo* vel *-ibor* desinentes apud Plautum leguntur, quae testantur, id aetatis legem, quam dixi, hauddum pervulgatam fuisse. Quin etiam in eodem versu utraque forma legitur ut Persa 15:

Is est profecto. — Eum esse opinor. — Congrediar. — Contra adgredibor.

Hujusce generis hodie leguntur hae formae Plautinae *scibo* (Pseud. 174, 480; Men. 386, 808; Most. 997; As. 28); *scibis* (Mil. 1365; Rud. 365; Pseud. 1039; Poen. V, 3, 57; Cas. III, 5, 22; Ep. II, 2, 10; V, 1, 79); *scibit* (Mil. 860; Ep. I, 1, 69; I, 2, 51); *scibimus* (Merc. 1017); *scibunt* (Poen. II, 16); *scibitur* (Capt. 785); *audibis* (Capt. 619; Poen. I, 2, 97); *dormibo* (Trin. 726); *grandibo* (Aul. I, 10); *expedibo* (Truc. I, 2, 36); *subvenibo, convenibo* (Men. 1009; Cas. III, 2, 18); *aperibo* (Truc. IV, 2, 51); *servibo, inservibis, servibit* (Merc. 546; Most. 216; Persa 628); *cibit* (Rud. 1101). — Praeterea formae passivi: *congredibor*, *adgredibor* (Persa 15, Most. 783; Persa 788); *opperibor* (Pseud. 323, Truc. I, 2, 105); *opperibere* (Bacch. 48); *mentibitur, mentibimur* (Mil. 35, 254); *demolibor* (Bacch. 383); *amicibor* (Persa 307); *largibere* (Bacch. 811); *ibitur* (Trin. 586); *reperibitur* (Ep. I, 2, 48); *custodibitur* (Capt. 729); *subblandibitur* (Bacch. 517).

Altera autem quaestio subdifficilis nobis oboritur, utrum aetate Plautina tertiae quoque conjugationis futurum in *-ebo* vel *-ibo* desierit ac praeter formam vulgarem usuque receptam insolens haec vulgata fuerit necne. Corssenius quidem posuit (Krit. beitr. p. 539) imperfectis in *-ebam* formationem *e-* conjugationis praeeuntibus futura quoque interdum in *-ebo* exiisse, ut Plaut. Ep. II, 2, 5: *exsugebo.* — Ac profecto unam hanc formam Epidici, quae fabula plurimas formas obsoletas exhibet maximeque vetustatem obolet, et ipse genuinam existimaverim eo magis quod Scaliger ad Festum nostram comprobavit; de tribus autem locis (Men. 1038 sive V, 7, 49; Cas. I, 41; Ep. I, 1, 22), quibus monstruosa forma *reddibitur*, *reddibo* legitur, non habeo quid decernam. Jam enim Struvius p. 149 pluribus eam disceptavit et ipse Ritschelius in notis criticis fatetur, totam rem esse valde dubii judicii. In scholis quidem ab eo habitis, quod ejus ex discipulorum libellis perceperim, eam in sententiam videtur disputasse, ut futurum hocce insolentissime fictum verbi principis gratia formam eam induisse arbitraretur. — Sed omnes denegari hae formae non possunt, quum textus nobis traditus sine ulla lectione variante has formas exhibeat, quae insuper fragmentis Vidulariae confirmantur.

F. Paulopostfuturi indicativus et conjunctivus.

Duo haec tempora, quae vulgo vocantur futurum exactum et perfecti conjunctivus uno capite comprehendi, quia necessitatis vinclo ea colligari ne ii quidem infitiari

possunt, qui diversis temporibus ascripserunt, plerique autem alterum alterius conjunctivum esse annuunt. Una hic mihi provincia est disquirere, quidnam sibi velint formae in *-so* (*-xo*) vel *-sim* (*-xim*) exeuntes, qua via ad istanc formationem pervenerint, quae notio denique iis subsit. Formas Plautinas affero tripartito:

I.

1. *dixis*: As. 839; Mil. 283; Capt; 149; Aul. IV, 10, 14.
2. *dixit* (= dixerit): Bacch. 519.
3. *inspexim*: Men. 597.
4. *respexis*: Rud. 678; Most. 522.
5. *aspexit* (=aspexerit): As. 776.
6. *conduxim*: Merc. 758.
7. *induxis*: Capt. 149.
8. *lusim*: Rud. 1248.
9. *parsis*: Bacch. 910.
10. *delussim*: As. 731.
11. *emissim*: Cas. II, 5, 39.
12. *amissis*: Mil. 700; Bacch. 1188.
13. *jussim*: Men. 185.
14. *excussit* (= excusserit): Bacch. 598.
15. *percussit* (=percusserit): Cas. III, 5, 16.
16. *comissis*: Men. 617.
17. *extinxit*: Truc. II, 6, 43.

II.

1. *observasso*: Mil. 328.
2. *peccasso*: Rud. 1348.
3. *enicasso*: Most. 212, 223.
4. *liberasso*: Most. 223.
5. *servasso*: Most. 228.
6. *amasso*: Cas. V, 4, 22.
7. *commonstrasso*: Ep. III, 4, 5.
8. *indicasso*: Poen. IV, 2, 66.
9. *locassim*: Aul. II, 2, 51.
10. *inritassis*: Amph. 454.
11. *optassis*: Mil. 669.
12. *amassis*: Mil. 1057.
13. *indicassis*: Rud. 1028; Aul. IV, 2, 1.
14. *peccassis*: Rud. 1150; Stich. 725.
15. *defraudassis*: Rud. 1345:
16. *occultassis*: Trin. 627.
17. *curassis*: Pseud. 232, 393; Most. 526; Poen. III, 1, 50.
18. *supplicassis*: As. 467.
19. *adjurassis*: Pseud. 942.
20. *celassis*: Stich. 149.
21. *occupassis*: Most. 1297.
22. *mutassis*: Aul. III, 6, 49.
23. *occeptassit*: Rud. 776.
24. *cenassit*: Stich. 192.
25. *inritassit*: Stich. 346.
26. *demutassit*: Stich. 723.
27. *abjurassit*: Pseud. 478.
28. *peccassit*: Cas. III, 4, 6.
29. *decollassit*: Cas. II, 4, 28.
30. *assudassit*: Cas. II, 6, 9.
31. *comparassit*: Ep. I, 2, 19.
32. *servassit*: Cist. IV, 2, 76.
33. *mulcassitis*: Mil. 163.
34. *exoculassitis*: Rud. 731.
35. *invitassitis*: Rud. 811.
36. *asportassint*: Amph. 207.
37. *amassint*: Curc. 578.
38. *servassint*: Trin. 384; As. 654; Pseud. 37; Stich. 505; Cas. II, 5, 16.
39. *ambissint*: Amph. 69.
40. *prohibessit*: Pseud. 14; Aul. IV, 2, 4.
41. *licessit*: As. 602.

III.

1. *faxo* fere quinquagies in fabulis Plautinis legitur.
2. *faxis*, modo indicativus ut: Capt. 124, 695; Mil. 1417; As. 612 etc. modo conjunctivus ut: Mil. 624, 1125, 1372; As. 256 etc.
3. *faxit* (ubique conjunctivus): Capt. 622; Pseud. 923 etc.
4. *faxint* (ubique conjunctivus): Amph. 632; Capt. 171, 326; Bacch. 626 etc.
5. *faxim*: Amph. 511; Trin. 221 etc.
6. *effexis*: Poen. I, 3, 19; Cas. III, 5, 63.
7. *injexit, conjexit, objexim, objexis*: Persa 70; Trin. 722; Poen. I, 3, 37; Cas. III. 5,63.
8. *empsim*: Mil. 316.
9. *capso, capsit, occepso, occepsit, capsimus*: Bacch. 712; Pseud. 1022; Amph. 674; Cas. V, 4, 22; As. 794; Rud. 304.
10. *comessis*: Men. 617.
11. *empsim*; Mil. 316.
12. *adaxint*: Aul. I, 1, 11.
13. *faximus*: Truc. I, 1, 40.

